

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Nathan.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

Aggredere me, inquit, & interfice, nam magno dolore discrutior, nec adhuc possum emori. Hic ego quid agerem? videbam non victurum post tam gravem casum: itaque interemi, abstulique coronam de capite ejus & armillam de brachio: quæ tibi affero, ut vides. *D.* *) Heu calamitosa clades, heu lugubre prælium, o facinus audax! Cujas es? *A.* Filius sum advenæ cujusdam Amalechitæ. *D.* Te ne ergo non esse veritum ista impura manu perdere unctum Jovæ? Tu juvenis invade hominem, nequæ: merito moreris, & tuo indicio peris, qui te de Rege interfecto jactaveris,

SENTENTIA.

Si potentes sic tractarent eos, qui ipsis mortem aut malum inimicorum, tanquam rem lætam, nuntiarent, ut Amalechitam hunc tradidit David: aut si saltem hujusmodi nuncios adversarentur: minus auderent assentatores.

NATHAN. 2 Reg. 12.

ARGUMENTVM.

Nathan Davidem jussu Jovæ ficta ad rem narratione simili, ita prudenter adulterii homicidiique arguit, ut ipse David contra semetipsum ferat sententiam.

Nathan, David.

David, duo homines erant in quadam urbe, alter dives, alter pauper. Dives ovibus & capris bobusque abundabat: Pauper unam omnino habebat.

*) Singularis virtus Davidis, qui lugeat hostem,

habebat oviculam, a se emtam & altam, quæ adoleverat una cum ipso, liberis ejus: vescebatur eodem cibo cum eo, bibebat eandem potionem, quiescebat in sinu ejus: breviter, erat ei pro filia. Ad illum autem divitem venit quidam hospes, quem accepturus, præteritis pecoribus suis, oviculam illam pauperis mactavit. *D.* ^{a)} Per Jovam immortalis dignus est morte, qui fecit istud: ovemque certe quadruplo pensabit, qui tantum facinus committere non dubitaverit. *N.* Tu ille es, David. Deus creavit te regem Israelitarum, teque liberavit ex manu Sauli: tibi tradidit domum domini tui, & uxores, ^{b)} quas complecteris: tibi Israelitarum, tibi Judæorum familiam dedit: alia atque alia insuper daturus, si ea non satis essent. ^{c)} Et tu contempto ejus præcepto, Uriam Hætteum Ammonitarum telis objectum, indignissime trucidasti: ejusque uxorem, nulla Jovæ habita ratione, in matrimonium duxisti. Ob quæ flagitia nunquam a tua domo aberit clades. Nam Deus conflabit tibi malum domesticum: ^{d)} tuasque uxores, te vidente, alteri tradet, qui cum eis luce palam congregietur. Tu quidem occulte fecisti; sed ipse faciet in luce atque in oculis omnium Israelitarum. *D.* Pec-

cavi

- a) De causis alienis recte judicare solemus.
 b) In matrimonium.
 c) Ut quisque plurimis beneficiis a Deo affectus est, ita gravissime in eum peccat, si peccat.
 d) Tantam calamitatem invehet domui tuæ, ut uxores tuæ palam stuprentur.

eavi in Deum. N. e) Deus quoque remittit illud quidem tibi peccatum, neque ob id morieris. Sed quia ista re inimicis Jovæ occasionem maledicendi dedisti, filius, qui tibi natus est, morietur. Hæc me tibi nunciare jussit Deus.

SENTENTIA.

Callide reprehendendi sunt potentes. Qui alterum damnat, se ipsum damnat, si similia committit. Nihil est tam tectum, quin detegatur. Si peccatum tuum rescisci non vis, peccare noli.

THECVANA. 2 Reg. 14.

ARGVMENTVM.

Thecuana fœmina, a Joabo subornata, oratione tecta atque figurata impetrat a Davide revocationem Absalomi, ejus filii, ob fratricidium profugi.

Mulier Thecuana, David, Joabus.

Fidem tuam, o Rex! D. Quid mali habes?
M. Mulier sum deserta, & viduata viro, cui superstites fuerant duo filii, cum ruri forte inter se contenderent, nec esset qui litem dirimeret, cæcidit alter alterum, eumque morte mulcavit. Nunc universa me familia urget, posecens ad necem eum, qui superest, ob interemptum fratrem, cupiensque perdere unicum hæredem parentum; & quod mihi miseræ a) lucis superest (quod certe

e) Morte dignus erat & pœna suis levior, hæc venia vocatur.

a) Præsidi, solatii.